



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

D[omi]nica 1. Aduent[us]. Eua[n]gel. Cu[m] appropinquasset. Mat. 21.  
Homili[æ] tres

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35308**

# T O M V S

## P R I M V S

### H O M I L I A R V M

super euangelia de tempore, à prima do-  
minica Aduentus usque ad diem Resurrectionis  
dominicæ.

## DOMINICA PRIMA

### A D V E N T V S.

Euangelium Matthæi. 21.



**I**N illo tempore, Cum  
appropinquasset Hie-  
rosolymis, & uenisset  
Bethphage ad montem  
Oliueti, tunc Iesus misit  
duos discipulos, dicens  
eis: Ite in castellū quod  
contra uos est, & statim  
inuenietis asinam alliga-  
tam & pullum cum ea,  
soluite & adducite mi-  
hi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite: quia do-  
minus his opus habet, & cōfestim dimittet eos.  
Hoc autē factum est, ut adimpleretur quod di-  
ctum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ Zacha. 9.  
Sion, ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens

Marc. 11.  
Luce. 19.  
Johan. 12

Isaię. 62. super asinam & pullū filiū subiugalis. Euntes au-  
 tem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus.  
 Johan. 12. Marc. 11. Lucę. 19. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposue-  
 runt super eos uestimēta sua, & eum desuper se-  
 dere fecerunt. Plurima autē turba strauerunt ue-  
 stimenta sua in uia. Alij autem cędebant ramos  
 de arboribus, & sternebant in uia. Turbæ autē  
 quæ præcedebant & quæ sequebantur, clama-  
 bant, dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus q̄  
 uenit in nomine domini.

## E X P O S I T I O

seu homilia .I.

**P**Rincipio hic illa contextus euāgelicę historia aper-  
 te demōstrat, quomodo dominus glorię Christus  
 Iesus, rex cęli & angelorum omniumq̄ creatura-  
 rum, in tāta humilitate ingressus sit amplissimam illam  
 & magnificam ciuitatem Ierusalem, in qua Iudęi opulē-  
 tissimi nobilissimiq̄ habitabant, ibi nimirum in summa  
 egestate se dedignatus non est exhibere, palamq̄ uide-  
 ri ab omnibus, adeo ut mirum sit, altissimum se ad tantā  
 demississe humilitatem. Veruntamen uera eius esse uerba  
 oportebat, quando dixit: Filius hominis uenit non minī-  
 strari, sed ministrare, & dare animam suam redemptio-  
 nē pro multis. Et alibi etiam dixit ad apostolos suos: In  
 medio uestrum sum sicut qui ministrat.

¶ Nec est q̄ hunc Christi in urbem ingressum parui fa-  
 cias, olim enim iam prædixerat illum spiritus sanctus per  
 prophetam Zachariam, sicut & euangelista eodem spiri-  
 tu illustratus hic in euangelio dicit, Dicite filiæ Sion, in-  
 quit Zacharias, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus, sedēs  
 super asinam & pullum filium subiugalis. Illam em̄ san-  
 ctus Augustini super Iohannem scribentis regulam, om̄is  
 regula. Christianus plurimū & diligenter ponderare debet. Quā

factum noui testamenti inuenitur prænunciatum in ueri testamēto, in lege aut prophetis, intelligamus hoc factum à spiritu sancto, ad rem aliquam notabilem significadam. Cum ergo Zacharias hunc ipsum Christi ingressum tot retro seculis annisq; præuiderat, magnum quid & graue in eo positū sit oportet. Certum enim id signū erat aduētus Messiae, quod filiae Sion dederat deus, populo nimirum Iudæorum. Ex quo Iudæos etiam præcipue in Christum credere cōueniebat. Quo facit non tantum quod Christus humiliter adeo asellæ insidens, ingressus est urbem, sed ista quoq; gratulabunda populi & puero-  
rum acclamatio, ait enim Matthæus, Cōmota est uniuersa ciuitas, dicens, Quis est hic? Ingressus etiam templum, eiecit uendentes & ementes omnes ex illo, mensas numulariorum potenter euertit, cæcos & claudos in tēplo sanauit: quæ omnia suis circumstantiis antea nec contigerāt, nec uisa nec audita fuerant Hierosolymis: eoq; magis Iudæos, & ex iis quidem magnates ac doctiores præcipue commouere debuerat propheticum illud Zachariæ signum, unde cognoscerent hūc ipsum esse Messiam, de quo cuiusq; equitatu hæc prædixerat Zacharias.

¶ Verum inuidia & superbia adeo erant excæcati, ut non uiderent quàm clare & aperte in Christo eiusq; ingressu, prophetia hæc impleta esset. Quin potius magistrū illum suum, præterquam quod cōtempserunt, persecuti etiam sunt fortiter. statim em̄ post hæc subiungit Matthæus: Videntes principes sacerdotum & scribæ (uerum  
nō quinam sint, uide sermonē Epiphaniæ) mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes, Osanna filio Dauid, indignati sunt & dixerunt ei: Audis ne quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtiq; nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.  
Sed & Lucas commemorat, quomodo quidam pharisæorum de turbis dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico uobis, quia si nō tacuerint, lapides clamabunt. Quo nimirum declarare uoluit Christus, quàm certo & efficaciter omnes de se prædictæ prophetiæ essent implendæ, aut potius illas sublatis uocibus lapides essent proclamaturi.

DOMINICA PRIMA

¶ Deinde non tantum hoc suo equitatu dominus Messiam se esse euidenter comprobauit, quem olim propheta Zacharias prædixerat, sed simul etiam istorum falsam de Messia conceptam opinionem excludere uoluit. Nam & tunc eius erant sententiæ Iudæi, & nunc quoque hodie sunt, quæ profecto nec nulla nec exigua est causa, etiamnum tantæ & cæcitatæ & pertinaciæ illorum, quod tam cõtumaciter in sua perseuerant infidelitate. Putabãt enim Messiam uenturum in sublimi rerum secularium administratione magnaque pompa, & magnificentia uulgi iudicio splendida, adeo ut toti impaturus esset mundo, illi quoque uniuersum regno Iudaico pariturum. Et hanc falso persuasam opinionem ex scripturis exuxerant, sicut nunc quoque hæretici scripturas falso intellectu exponunt. Quia dicit dominus per Isaiam: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus domini in uertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: uenite, ascendamus ad montem domini, & ad domum dei Iacob, & docebit nos uias suas, & ambulabimus in semitis eius. Quomodo & Ieremiam intelligebant, dicentem: In tempore illo uocabunt Ierusalem solium domini, & congregabuntur ad eum omnes gentes in nomine domini in Ierusalem. Sed & David ait: Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei, coram illo procident Aethiopes, & dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. & id genus locos alios plurimos in eandem inducunt sententiam.

Isaie. 2.

Jeremi. 3.

Psalm. 72.

Matth. 20.

Marc. 10.

Hierony.  
Chrysoft.

¶ Atqui huiusmodi falsam opinionem non mali tantum habuerunt Iudæi, sed etiam qui pii erant, adeoque cognati & apostoli Christi. sicut enim Matthæus scribit, Venit ad Iesum mater filiorum Zebedæi, orauit ut ex his alter ad dextram, ad sinistram alter sederet in regno suo. Quamuis Marcus asserat Iohannem & Iacobum filios Zebedæi hoc ipsum petisse (tu hæc require in sermone festi sancti Iacobi). Iam uero, ut quidem Hieronymus & Chrysostomus rationem explicant, Salome mater illoque hoc muliebri quadam benignitate & adfectione permota à Christo petiit. Putauit enim eum post resurrectione.

nem ilico regnaturum, & hoc quod in secundo aduentu promittitur, in primo esse complendum, & auiditate sermone presentia cupit immemor futurorum. Quo animo apostoli quoque rati sunt, fore ut Christus populo Israel seculare suum imperium restitueret, quum illi iam in caelum ascensuro dicerent: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Actu. 16

¶ Verum nostrates quoque Iudaei fortiter adhuc innituntur illi, quod sicut iam per uniuersum mundum dispersi miseriam uitam uiuunt, sine regimine & magistratibus, potestati tantum subiecti Christianorum, multoque durius Turcarum, ita rursus liberaturus sit eos Messias, & in terram Iudeorum collecturus, ut in Deuteronomio promissum erat: Quum reducturus esset illos de cunctis populis, in quos eos ante dispererat. Et sicut Iezechiel scribit: Congregabit eos super terram suam, & non derelinquet quenquam ex eis ibi. Sed & sperant Messiam templum illis rursus suum aedificaturum, quemadmodum dicit Zacharias: Ecce uir oriens, nomen eius, & ipse extruet templum domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo. Deute. 30  
Iezech. 39  
Zacha. 6

¶ Sententiam istam elatam nimiumque fastuosam ueterum simul & recentium Iudeorum, mirissimus & humilis dominus Iesus, iam hodie penitus concurit euertere. Unica hac asina, cui uelut pauper & egenus insidens, urbem ingressus est, illam quoque propriam non habuit, sed comodatitiam, pro qua suos etiam apostolos emiserat qui adducerent. Quod certe una cum Zachariae testimonio falsam istam Iudeorum sententiam ualide confutat. Quicquid enim prophetae & Moyses praedixerant, de spirituali regno Christi & fidei, Iudaei suae perfidiae conuulentes detorserunt ad externam temporalem secularemque administrationem. Plane enim sicut hic Zacharias humilem & pauperem illum ingressum Hierosolymam praedixit, ita caeteri quoque prophetae aduentum suum in humilitate & paupertate descripserunt. Siquidem ipse etiam patriarcha Iacob de Messia loquens, asinae meminuit & puli, & David quoque in persona illius dixit: Pauper sum ego & in laboribus a iuuentute mea, exaltatus autem humilia-

Gene. 49

Psalm. 87

rus sum & cōturbatus. Et huic quidē humilitati ipse Chri-  
 stus ut hic factō, ita alibi uerbis testimoniū præbet, quū  
**Matth. 8.** ait: Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidos, filius au-  
 tem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Quid  
 multa? adeo egenus extitit Christus, ut ei didrachma eti-  
 am defuerit, unde uestigial exolueret, nanq; quū eo opus  
**Matth. 19** haberet, Petrum tandem ablegauit, piscem qui caperet  
 & inde eximeret didrachma. Adeo etiam egenus & pau-  
**Luce. 9** per fuit ille, si mō & more mūdano loquamur, ut emen-  
**Johan. 6.** dis etiam sibi pro discipulis suis panibus in deserto pecu-  
**Disce pau-** nia defecerit. Messias ergo Christus Iesus egenus uenit  
**per.** in mundū, sicut & pauper ingressus est Hierosolymā.  
**Luce. 2.** ¶ Ad extremum, disce hinc quisquis pauper es, humi-  
**Matth. 2.** litatem. pauper enim extitit ipse etiam saluator tuus &  
**Matth. 21** redēptor: tua tuāq; animæ salutis causa paup ille natus  
 est, in præsepe repositus est, diuersorio etiam carens in  
 Mariæ puerperio. Pauper extitit & in exilium fugit in  
**Matth. 27** Aegypto. Pauper ingressus est in Ierusalem super asinā.  
 Pauper & nudus in cruce pependit. Pauper etiam mor-  
 tuus est, proprioq; carens sepulchro. unde & Ioseph ab  
 Arimathia illum sepeliuit in suo nouo sepulchro. Esto  
 itaq; & tu pauper cum paupere Christo, & ut maxime  
 formosus sis & diues, humilis tamē esto cum domino Ie-  
 su. Nam & ille rex est regum, omniumq; dominantium  
**Apoca. 9.** dominus, ut ait Iohannes: & tamen urbem ecce maximā  
 Ierusalem ingreditur asella uectus commodatitia. Pro-  
 fecto enim si illud nobile uirtutum omnium speculum  
 sequuti sedulo fuerimus, paupertatem patienter sustinu-  
 erimus, & in ipsis quoq; diuitijs humiles tamen extiteri-  
**Ephesi. 3.** mus: ille idem nobis Christus Iesus post has diuitias glo-  
 riæ suæ dabit uirtutem, ut sic spiritu sancto confirmati  
 & hic sua sancta fide diuināq; roboremur charitate, & il-  
 lic in futuro seculo æterna decoremur felicitate, quod  
 nobis dominus deus concedat, Amen.

HOMILIA II. SVPER EO-  
dem euangelio.

**S**anctus Augustinus super euāgelium Iohannis scribens, regulam quandā nos docuit, Christianis omnibus & animo firmiter concipiendam, & in euangelis subinde usurpandam. ait enim: Ea quę fecit dominus noster Iesus Christus stupenda atq; miranda, & opera & uerba sunt. Opera, quia facta sunt: uerba, quia signa sunt. Ergo opera licet ita reuera facta sint, tamē aliquid significāt ad nostram doctrinam & eruditionem, ut sic in credendis & agendis melius instruamur. Regula hac uti ecclesiam, nonne uel hinc clare cernimus, quōd euangeliū illud bis in sacro Missę legit officio, iam hodie dominica prima Aduentus, & dominica Palmarum: Nam iuxta hanc Augustini regulam, hunc Christi ingressum intelligere & considerare possumus, partim in se, ut opus, quomodo in dominica Palmarum legitur, quoniam ea die contigit, ut Christus super asinam inueheretur in Ierusalem ante suam passionem & mortem. Partim secundum id quod significat, & nos docet. Quod ad significationē attinet, sicut Christus humiliter ingressus est urbem Hierosolymā sup asinam sedens, ita & filius dei uenit in hūc mundum, demisit & humiliavit semetipsum. aduenit super asinam, hoc est, in sua sanctissima carne, quam ille ex purissimis guttulis sanguinis Marię adsumpserat, de cuius humilitate nobis sanctus Paulus ad Philippenses hæc scripta reliquit: Quum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem deo, sed semetipsum exinanuit, formā serui accipiens, & habitu inuētus ut homo, humiliavit semetipsum, factus obediens usq; ad mortē crucis.

¶ Nec est quōd quisquam fidelium admīretur, quōd iam diximus asinam cui insedit Christus, ipsam eius significare humanitatem. Nam & Christus semet rebus conferre dedignatus non est uilioribus quā sit asina, sicut apud Dauidem inquit: Vermis sum & nō homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Ex tamen asinam suę humilitatis gratia significare benedictam Christi humanitatem, patet ex prophetia Iacob: In benedictione Iuda, ubi

Regula  
bona Au-  
gustini.

Philipp. 2.

Psalm. 21.



2 DOMINICA PRIMA

Gene. 49.

ex sententia sanctorum doctorum omnium loquitur de Messia, quem missurus esset deus, quiq; futurus erat expectatio plebis. sequitur inde, Ligas ad uineam pullum suum, & ad uitem o fili mi asinam suam. & hoc ille fecit in uenerabili sacramento, ubi corpus suum sub specie uini suo uniuert sanguini. sicut em firmiter credit ecclesia, corpus, anima & sanguis Christi, singula hæc sub singulis speciebus tota & integerrima sunt, ut iam nihilo minus suscipiat laicus sub unica specie, quam sacerdos sub utraque, sed de ijs alijs.

De conse.  
dist. 10. ca.  
et si nõ fre  
quent.

Ibi. ca. se-  
cu. ca. ois  
homo.

Ca. non  
opoz. 33. q.  
4. 2c. scia  
tis, defer.  
ca. capel-  
lanus.

¶ Quum ergo iam ecclesia ante Christi natiuitatē aduentum consideret dominicum, recte hodie euangelium illud legit, quo eius in carnem significatur aduentus. ois enim cogitatio & meditatio ecclesiæ, nunc de aduentu domini est, unde & tempus hoc Aduentus appellari cœpit, olimq; obseruatum à priscis pie est & sancte, multū in eo ieiunatum, à plerisq; confessio facta, quando etiam tunc in natali domini eucharistia ab omnibus sumebatur, sicut nunc in solennitate paschali: eius rei satis magnum testem Fabianum habemus martyrem & Papam, sic inquit entem: Et si non frequētius, saltem in anno ter homines communicent, nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur, in Pascha uidelicet & Pentecoste & Natali domini. Sed & sacrum concilium Agathense, si militer & Elibertanum decreuerunt, ut seculares, qui in natali domini, pascha & pentecoste non comunicaerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Et o quam sanctum illud tempus erat, quo charitas Christiana tam magna erat, tantumq; feruebat. Atq; ideo etiam nuptias agere & id genus alia gaudia per aduentum prohibita sunt, sicut in concilio Hilerdensi sanctum legimus: Non oportet à septuagesima usq; in octauam paschæ, & tribus hebdomadibus ante festiuitatem sancti Iohannis Baptistæ, & ab aduentu domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare: quod si factum fuerit, separentur.

¶ Neq; uero immerito sanctum hoc dominici aduentus tempus quilibet Christianus maiori & seueritate obseruat, & pietate præ cæteris (sicuti nunc quoq; in canoni-

eis cœnobijs ieiunatur, quotidieq; conciones fiunt in ad-  
 uentu, ut per quadragesimam). Nam duos Christi aduen-  
 tus in scripturis inuenimus, Alterum q iam dudum præ-  
 terijt, quo ueniens in hunc mundum homo factus est. Et  
 hunc quidem Christi aduentum ueteris testamēti patres  
 iam olim ardenti desiderio, uotisq; flagrantibus semper  
 petierunt, sicut & Moyses dicebat: Obsecro domine, mit-  
 te quem missurus es. Et Isaias clamā ad dominum: Rora-  
 te cœli desuper & nubes pluant iustum, aperiatur terra  
 & germinet saluatorem. Iam tempora quo prolongabā-  
 tur magis, eo cœperant fieri molestiora grauioraq; illis,  
 quod Messiam nondum aduentare uidebāt, quod ille ad-  
 uentum suum usq; adeo in quinquies mille annos differ-  
 re pergebat. In eorum persona ad illum hæc clamauit  
 Isaias: Vtinam dirumperes cœlos & descenderes, a facie  
 tua montes defluerent. Ita nūc quoq; sancta ecclesia, quæ  
 spiritui sancto gaudet rectore, sibi personam adsumpsit  
 ueteris ecclesiæ, Deumq; precatur pro aduentu simul &  
 semita æternæ felicitatis. & hoc ipso quidem aduētū to-  
 ta undiq; abundat scriptura. In propria enim uenit, & sui  
 eum non receperunt, inquit Iohannes. Et apud Lucam  
 dominus ait: Filius hominis uenit quærere & saluum fa-  
 cere quod perierat.

Duo adue-  
tus.Erodi. 4.  
Isaię. 45.

Isaię. 64.

Iohan. 1.  
Luce. 19

¶ Alter uero Christi aduentus est horribilis & tremē-  
 dus, quo uenturus ille est in iudicio extremos uiuos iudi-  
 caturus & mortuos. Ita enim ad Iudæos dixit: Videbitis  
 filiū hominis uenientem in nubibus cœli, in uirtute mul-  
 ta & maiestate. Quod Isaias multo ante præuiderat in  
 spiritu, dicēs: Dominus ad iudicium ueniet cum senibus  
 populi sui. Profecto enim omnem iudicandi potestatem  
 Christus habet, sicut ipse apud Iohannem profitetur,  
 quum ait: Pater non iudicat quenquam, sed omne iu-  
 dicium dedit filio.

Matt. 24.

Isaię. 3.

Iohan. 5.

¶ Iam nunc ergo utrunq; Christi aduētum hoc sacro  
 tempore recollit ecclesia, alterum quidem lætum, saluta-  
 rem & pium plane ac misericordem, quo uenit ille sicut  
 ouis non aperiens coram tondente os suum. Vnde non-  
 dum om̄em lætum iam hodie reiicit cantum, gaudet em̄  
 super hoc priore aduentu, atq; ideo retinet gloriosum

Isaię. 53.

Lucę, 21

1. Petri, 4  
Hierony.

illud canticum alleluia. Alter autem Christi aduentus in graui & districta erit iustitia, quum iam Christus adueniet ut leo rugiens, tunc enim ipsæ etiam cælorum uirtutes mouebuntur, tunc & terræ motus magni erunt, & mortui omnes resurgent, atq; ab ultimis terræ finibus ad hoc cõuenient iudicium, in quo sane quum ut Petrus ait, Vix iustus saluabitur, impius & peccator ubi parebūt? Ut iam recte sanctus Hieronymus dixerit: Siue comedā, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper uox illa uideretur sonare in auribus meis: surgite mortui & uenite ad iudicium. Verum de extremo iudicio peculiaris suo loco habebitur sermo. Tantum illud hic uideamus, homo quū Christi cogitat aduentum, qui illum uel uitæ adiudicaturus est æternæ uel damnationi perpetuæ, si ille uere pius est, humiliabit utiq; se, & merito quidem timēs deum, eidem quoq; seruiet diligentius, in bonis deoq; beneplacitis operibus sese exercebit sedulo, quo tandem se paret gratiam recens nati paruuli in natali illius abūdantius & dignius percipere, ipseq; tandem in illo finali iudicio lætus compareat coram iustissimo iudice, ubi non perperuis affligatur pro merito suo supplicijs, sed potius uitā impetret sempiternam ex misericordia & merito Christi Iesu, Amen.

Quatuor  
Dominicę  
aduētus.

¶ Postremo, quando dictū est hactenus, quomodo quatuor significatione euangelium hoc usurperur, hac dominica, quur sanctum hoc tempus aduētus dicatur, & quomodo utrinq; nunc aduentus ad animum memoriamq; reuocetur, restat iam dicere quur id tandem quatuor diebus dominicis fiat. semper enim aduentus quatuor dominicas habet. Ad hæc iam respondeo, ordinatum constitutumq; id esse arbitrio & magno quodam consilio ecclesiæ catholicæ, quæ magistrum & rectorem suum habet spiritum sanctum: & quia super ea re biblicam scripturam nullam habemus, nec constat quando hic aduentus cõperit, credendum sane est, hunc quoq; ut alias ceremonias plerasq; ex ipsa apostolorum institutione promanasse, sicut & Hieronymus & Damascenus testatur de quadragesimali ieiunio, quod ad ortiuam cæli partē adoremus, quod hebdomadalis feriatio ex sabbato in diem

fit translata dominicum &c. Quamuis ratione certa nō careant hic quoq; doctores, quur in aduētū factum id sit. Namq; & priorem Christi aduentum quatuor sunt quæ præcesserunt, Inspiratio legis naturalis, Institutio circūcisionis, Legis scriptæ constitutio, & prophetiæ cōtestatio. Quatuor hæc Messiæ aduentum præcesserunt, quæ & quatuor ijs dominicis diebus designātur. lex enim naturæ cœpit in Adam, circuncisio in Abrāam, lex in Moysē, in Dauide autem prophetia (quamuis prius fuerunt propheta in particulari, Adam, Iacob, Ioseph, Balaam, Moyses &c.) Et ad eundem modum quatuor etiam tempora post Christi ponunt aduentum, primum apostolorum, quo Christianos persequuti sunt Iudæi: secundum martyrum, quando eodem in officio illos sequuti sunt gentiles: Tertium doctorum, quo hæretici persequi cœperūt ecclesiam, idq; ab imperatore Constantino usq; ad Carolum Magnum durauit. Quartum uero confessorum à Carolo Magno hætenus durat, durabitq; ad Antichristum usq; quo non iam gentiles & hæretici tantum & tyranni, sed ipsi etiam peruersi Christiani fideles persequuntur. Atq; id omne alterum illum Christi aduentū præcedet, quo ad iudicium uenturus est, unde & quatuor illis dominicis competenter designatur.

¶ Sunt tamen qui quatuor istorum dierum dominicorum in aduentu rationem hanc reddant, ex ipso etiam uocabulo aduentus. constat enim ex scriptura Christum quadruplici uia aduenire. Aduenit namq; primum in humana natura natus in hunc mundum. Secundo, ueniet in ultimum iudicium iustus iudex. Tertio etiam uenit sub cuiusq; hominis mortem. Quarto, in corda etiam singulorum hominum insinuans sese aduenit, & iustificās illum & diuina sua gratia clementer uisitans. De quolibet quatuor istorum generum aduentu per hoc tempus tractatur. & hodie quidem primus ille aduentus in mundum, & sic singulis dominicis deinceps, quemadmodum suo semper dicetur ordine. Quod autem ad hunc in carne aduentum attinet, require in sermonibus de Christi natiuitate, & in die natiuitatis Mariæ.

¶ Istæ sunt autem rationes tantum suasoriæ, augen-

Quatuor  
precesse-  
runt adue-  
tum Mes-  
siæ.

Quatuor  
tempora  
post adue-  
tū Christi.

tes deuotionem fidelium non necessario cogentes. Nam euangelium de secundo aduentu Christi, habetur secundum usum Romanæ ecclesiæ dominica prima aduentus.

¶ Possit hic, neque id etiam absurde, induci, quam desideratus omnibus retro seculis fuerit Christi aduentus ille prior, sicut & Haggæus dicit: Veniet desideratus cunctis gentibus: unde & Iacob patriarcha desiderium illum dixit collium æternorum.

¶ Possit latius deinde explicari quantopere desideratus sit, in cælo quidem ab angelis, ab hominibus in terra, & in limbo à patribus. Ab angelis, siquidem lapsus illorum unus hic restitutor extitit. quantum enim ciuium cælestium lapsu Luciferi sociorumque erat deperditum, Christus locum eorum rursus hominibus suppleuit, testaturque id ipse Dauid de Christo: Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. & non paulo apertius Isaias, dicens: Consolabitur dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius. Ab hominibus etiam plurimum desideratus est Christus, tanquam mediator, quem admodum Paulus ait: Unus est deus, unus mediator dei & hominum, homo Christus Iesus. A patribus autem ut redemptor desideratus est, iuxta prophetiam Zachariæ: In sanguine testamenti tui emisti uinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Et Dauidis: Qui educit uinctos in fortitudine. Et hæc quidem facile adductis scripturis dilatari possunt, iustumque conficere sermonem.

Hagge. 2.  
Gene. 49.

Psal. 109.  
Isaie. 51

1. Timo. 2

Zacha. 9  
Psal. 67

### HOMILIA .III. DE HOC ipso euangelio.

**E**uangelium hoc tres in se continet patres. Primum quomodo dominus quum uenisset Bethphage, commiserit apostolis asinam adducere cum pullo. Deinde ut præceptum illud Christi impleuerint apostoli. Postremo, quibus modis apostoli simul & totus populus domino ministrauerint, magnisque gratulationibus & applausibus eum collaudarint.

¶ Quod ad primum attinet, quum iam appropinquasset Iesus Hierosolymis, ibi sane nescio misericordia ne

Christi, an charitas maior demonstraretur redimendo generi humano exhibita. Prius enim quam mortis sue tempus aduenisset, quamuis sæpe illum quærebant Iudæi occidere, sicut in Nazareth, quum in montem eum adducerent excelsum, non parcentes illi, quod quidē in eis erat, quin ipsum de monte etiam præcipitarent, uerum ille transiens per medium eorum ibat. Sed & quum arreptis lapidibus eum in templo essent lapidaturi, nisi ipse templum egressus abscondisset se ab eis. Et aliās quoque quærentibus illis apprehendere eum, exiuit de manibus eorum. Ac deinceps quum iam non palam ambularet apud Iudæos, abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem. Quando iam hora aduenerat salutem & redemptionē generis humani operandi, non iam subterfugit, quoniam potius ultro mitissimus dominus ad passionis suæ locum aduenit, non abhorruit etiam manibus sese offerre inimicorum, ita enim habet euāgelium: Quum appropinquasset Hierosolymis, neque sane eum passio & mors sua latebant, siquidem in ipso itinere iam sic dixerat ad illos: Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum. Ad hæc appropinquabat dominus Hierosolymis, ad passionem suam properans, ad sua ipse supplicia ultro festinans, uoluntarie ad mortem trāsuit, ex magna illa charitate quam erga hominem habebat, ut sic illum rursus sibi conciliaret, sicut per Ieremiā dicit: In charitate perpetua dilexite, & ideo attraxi te miserans. Vsq; adeo enim paterno quodam nos ille dilexit adfectu. accedens etiam ultro ad locum quo moriturus erat, ut à fletu & lachrymis quoque sibi non temperaret, quum ciuitatem aspiceret Ierusalem, sicut Lucas describit, quod & desolanda illa esset, & inhabitatores eius tantum angustiae, afflictionis, ærumnæ & miseriarum perpeffuri, quantum in mūdo uix unquā auditum foret. Sed o domine Iesu Christe, etiam nūc appropinqua nobis per gratiam & misericordiā tuā.

¶ Quum iam Iesus uenisset Bethphage ad montem Oliueti. Id sane ab euangelista non temere commemoratur.

Luce. 4

Johan. 8.

Johan. 10

Johan. 11

Matt. 20.

Matth. 21

Jerem. 31.

Luce. 19.

Marc. 11.  
Luce. 19

Actuum. 1

Glosa in-  
terlinearis

Psal. 109  
Hebr. 9

nancq; & Marcus & Lucas hic mentionem faciunt Bethania, quoniam Bethania & Bethphage locus hic uterq; in monte Oliueti non longe alter ab altero positus sit, & sicut Lucas in Actis ait, mons Oliueti à Hierosolymis per iter distabat sabbati, hoc est, mille passibus. Quando em̄ sabbatum rite sanctificare præceptum erat, non licebat illis in eo ultra mille passus ambulare. Atq; id sane Iudei usu receptum obseruârunt sine omni præcepto scripturæ, tantum hoc modo sibi à senioribus traditum, quomodo nos nunc quoq; multis utimur in ecclesia, quorum (ut supra dictum) quæ sit autoritas ignoratur, ita etiam nullum habemus scripturæ testimonium, tantum illum ab apostolorum temporibus in nostra hæc secula deriuatum usum, quod sane obseruatu dignissimum est contra nouellos istos Christianos, q; sine scripturis recipere nil uolunt. Fuit autem Bethphage prædium seu uilla sacerdotum, ubi sane merito Christus Iesus summus ille secundum ordinem Melchisedec sacerdos ingressurus iam in sancta sanctorum, idq; nõ per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem, quieuit: uolebat enim iam sacerdotium illud uetus, uetusq; testamentum & sacrificium consummare. Ablegauit ergo apostolos suos ex Bethphage, qui sacerdotibus ueteris testamenti successuri erant. Neq; est quod in montis Oliueti expositione multum laboremus. oleum siquidem in scripturis misericordiam significat, quo fere exemplo ueteribus etiam ethnicis oliua pacis signum exitit, ut iam nimis competenter totius misericordiæ dominus discipulos suos ablegauerit ex monte Oliueti.

¶ Atq; hic iam dominus discipulos ex suis duos misit in castellum quod contra eos erat, ut illi asinam cum pullo adducerent. Discipulos hos duos sunt qui putent Petrum & Iohannem fuisse, quod ij fere magis quam ceteri familiares alter alteri fuerint, sicut ex corna, in die resurrectionis in Samaria, & ex ipsa domini passione fati liquet. Sanctus Ambrosius super Lucam, Petrũ & Philippum hos duos fuisse arbitratur, sicut & magister in historia scholastica (quamuis male citet Philippum ex Actis apostolorum capite octauo, quia ille nõ fuit apostolus,

hic autem missi fuerunt apostoli, quia in præcedenti capitulo dicitur secreto adsumpsisse duodecim.) Quicumque autem ij duo fuerint, non refert, quum suam semper habeat hoc expositionē, quæ nunc statim sequetur.

¶ Dixit uero dominus: Ite in castellum, quod contra uos est, & inuenietis asinam alligatam &c. Quo ad litteram, asina hæc à diuitibus data fuerat in usum pauperū, quibus nec emere nec fouere asinos facultas erat, unde illam communem fuisse omnibus, certum est etiam hic ex Lyra, post magistrum in historia scholastica. Verum commissio illa si bene pōderetur, ut facit Chrysostrum, exigua non est, ibi enim declarauit Christus diuinitatem suam, suam potestatem, suamque rerum omnium scientiam & cognitionem, ostendens scire se iam ante & illos asinam inuenturos & pullum alligatum, quodque & asinam & pullum homines isti eis statim permissuri erāt, & hoc sane erat potēter ac magna cum autoritate mittere.

¶ Sed & hinc nos discere oportet, paupertatem sustinere, non querere fastum & tumentem superbiam, inquit Chrysostrum, ne maioribus inhiemus, quam quæ requirit necessitas. Ideoque natiuitati suæ Christus matrē elegit pauperulam, fabrilem coniugem, non etiam domum preciosam, sed casam & præ sepe. Apostolos quoque uocauit non doctos, diuites, nobiles, sed pauperes pisces. Mensam illi panis ornabat ordeaceus, proprijs carebat ædibus, tantum de ciuitate una in aliam pedester ambulabat. non puluinaribus infidebat, sed in mōte gramminibus, exigente rei necessitate. flebat etiam & collachrymabat, ijs omnibus nimirum regulam nobis Christianæ uitæ præbens. Vnde & asinæ urbem ingressurus insedit, tribus potissimum de causis, partim ut illud signū à propheta Zacharia iam olim traditum, quo Iudæi Messiam illum esse cognoscerent, hic impleretur: partim ad designandum mysterium, sicut in secundo iam ante sermone, & mox amplius explicabitur. Partim denique ad bonorum morum fidele exemplum, ne nos quoque in apparatu pomposo, fastu & proterua tumidaque superbia uiuentes ambulemus. Extende illa, & applica ex superioribus, & habebis sermonem.

Per totū  
euangeliū



¶ Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: Dicitur filiæ Sion &c. Quomodo hæc prophetia iuxta literam faciat ad illum Christi ingressum, & per se patet, & iam ante primo sermone explicatum est. Nunc ergo ad spiritalem sensum ueniamus, secundum regulam beati Augustini supra in secundo sermone traditam, consideraturi quidnam hic nobis & facta Christi & uerba designent, sequuturi etiam in hoc sanctum Chrysostomum super Matthæum, & sanctum Ambrosium super Lucam.

Chrysost.  
Ambrosi.

¶ Appropinquauit Christus sanctæ ciuitati Ierusalem. Ierusalem tantundem est ac si dicas, uidens pacem. significatq; hic ecclesiam sanctam dei, quæ ut semel cœpit in Abel, ita duratura est usq; ad ultimum iustum, qui uicturus est super terram. Hæc in ueteri olim testamento paruula adhuc erat, carens huberibus, donec sponsus illius filius dei Christus Iesus ei appropinquauit factus homo, ubi uenit Bethphage, quæ uox Syrica est, inquit Hieronymus, non Hebræa, domumq; significat oris seu mandibulæ. designat autem thesaurum uerbi dei, qui exiit in Christo Iesu. In eo enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ fuere recõditi. sed etiam secundum humanitatem suam Bethphage est. Ad montem uenit Oliueti, hoc est, ad altitudinem & sublimitatē pacis. uere enim hæc pax summa est, qua ille pacificator homines deo patri & angelis reconciliauit, unde & angeli in eius nauitate canebāt: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus. Quin potius ipse Christus mons ille est Oliueti, quo pater cælestis nobiles inserit oliuas, dicentes istud Dauidicum: Ego sicut oliua fructifera in domo dei. Et esse quidem oliuam pacis signum, ex Genesi perspectum habemus, ubi columba ramum adferebat oliuæ in arcam Noe. Christus enim ille ipse est, qui & pacem suam nobis dedit, & suam quoq; nobis reliquit pacem.

Colos. 2.

Luce. 2.

Psalm. 51.

Gene. 8.

Johan. 14.

Matt. 22.

¶ Christus discipulos emisit duos, hoc est, prædicatores duos. Quo quidem numero nos prædicatores intelligere omnes debemus, quos ex Bethphage, domo scilicet oris, ablegauit deus. nam in præceptis geminæ charitatis dei & proximi, omnes pendent prophetæ & lex

uniuersa. Atqui ea ipsa illi prædicaturi erant præcepta. Vel etiam duos esse qui mitterentur conueniebat, quod omnes prædicatores habeant sciētiam in ueritate, & puritatem in opere, ut inquit Beda. Quamuis etiam Theophylactus exponit duos esse ad soluendum missos, Paulū quidem ad gentes, Petrum uero in circuncisionem, hoc est, ad Iudæos, sicut ipse restatur ad Galatas,

Beda.  
Theophyl.

Galat. 2

¶ Et ait illis Christus: Ite in castellum, quod cōtra uos est. Sed quur Hierosolymam hic castellum nominat? quoniam ibi non paradysum cælestem, sed hunc mūdum designat, quem diabolus extruxit concupiscentijs malis, cōfirmavitq; priuatæ utilitatis adfectu, omniq; superbia & proteruitate. unde & Christus non Ierusalem, sed castellum dicit, adijciens insuper, quod contra uos est. Certe enim contra dominum erat Ierusalem, quem crucifixit, contra apostolos etiam & discipulos Christi, quos persecuta est, Petrum & Iohannem namq; captiuos coniecit in carcerem, uirgisq; cecidit, lapidauit Stephanum, Iacobum occidit &c. Inuenietis asinam alligatam &c.

Actu. 5. 7.  
2. 12.

¶ Per hæc animalia duo intelligit, quibusnā prædicare deberent apostoli, Iudæis nimirum & gentibus, utrisq; quidem magnis peccatorum uinculis constrictis, idololatriæ nimirum & blasphemie. Nec est quod alienum hoc tibi mirumq; fiat, Iudæos & gentes animalibus brutis designari. hoc enim & Dauid nos docuit: Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis. quamuis & prohibeat hoc deus, ne similes illis unquam efficiamur, per eundem alio loco sic dicentem: Nolite fieri sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. Asina, quoniam & uetula & gestandis assueta erat ponderibus, synagogam recte figurat Iudæorum, qui multo iam tempore legis Mosaicæ iugum portauerant. Pullus autem cui (ut Marcus ait) nemo adhuc insederat, gentes significat legidiuinæ non alligatas, efferatas insuper in erroribus & indomitas, omniq; blasphemia corruptas, quæ nec deum iam nouerant. Quid mirum autem si Iudæos & gentes ad ueri dei agnitionem Christus reuocauit, quum ipse sit ille lapis angularis, in quo, ut Petrus inquit, parietes duo isti ex 1. Petri. 2.

Psal. 48

Psalm. 31.

Marc. 11.

Ephesi. 2.

1. Petri. 2.

Iudæis & gentibus unum facti sunt.

Zacha. 9.

Hoc autem factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam. Et hæc quidem Zachariæ uerba quilibet prædicator à deo missus tanquam sibi dicta æstimare debet. Dicite o prædicatores, filiæ Sion, hoc est, cuiusque fidei animæ. Rex tuus, tuus deus & dominus, en tibi uenit mansuetus, paratissimus iam misericordiam tibi hoc tempore gratiæ exhibere, dum asinæ insidet & pullo, dum adhuc in tempore illo ecclesiam ex omnibus gentibus administrat & regit. nam quum in nubibus aduenturus erit iratus, seuerum tunc & iustum uidebis iudicem. Ex his solis uerbis Zachariæ poteris facere sermonem de officio prædicatoris. At quam pulchre sanctus Ambrosius hic concludit, quum ait: Non enim mundi dominus foris specie gestari dorso asinæ delectauit, sed ut latente mysterio penetralia mentis nostræ insterneret, & in secretis animorum interiore cōfessu mysticus rector insideret, quasi quodam corpore diuinitatis infusus, regens mentis uestigia, lasciuiam carnis infrenans.

Fecerunt ergo discipuli, sicut præcepit illis Iesus, nihil addentes de suo, quod nunc carnales isti faciunt prædicatores, nolentes sustinere unã cum euangelio scripturæ sensum induci ex sanctis patribus, Augustino, Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo &c. Verum sua figmenta & somnia, nõ temperãtes sibi etiam à calumnijs omnium ordinum, ecclesiasticorum precipue, assuunt & intermiscunt, sine ullo præcepto, imò & contra Christi præceptum. Non ita hic fecerunt apostoli. Sequitur, imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt &c. Est quidem dubia hic quæstio, quomodo Christus asinæ simul & pullo insederit. Theophylactus dicit primum eum super asinam sedisse, postea super subiugalem: quia & primum quieuit in Iudæorum synagoga, deinde in gentili populo. Neque id sane inepte, primum enim uocauit synagogam, quum ipsi etiam apostoli & discipuli Christi Iudæi fuerint, & ex illis deinde ecclesia succreuit catholica, dicente propheta: De Sion exhibit lex, & uerbum domini de Ierusalem. Deinde tãdem subiugali insedit, quo gentes significantur: quoniam in ipsa etiam

Isaie. 2.

prima apostolorum ad opus & officium prædicationis emissionem, illos ad Iudæos tantum misit, quum diceret: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Post suam autem resurrectionem, Ite, inquit, in orbem uniuersum, & prædicate euangeliū omni creaturæ. Tunc enim illum etiam indomitum subiugalem sibi subiecit, & sub Christianam istam gratiæ legem subiugauit. Hieronymus quidem tam breui itinere putat Christum nō insedisse utriq; & sane si usum ac necessitatem consideres tantum, quid mirum si nullius plane usus esset officio: uerum ad signum illud à Zacharia datum implendum, penes quod Messias cognosceretur, & ad hoc ipsum quoq; arcanae significationis consummandum mysterium, pie credendum est profecto. Neq; id scripturæ est absimile, ipsum utriq; inequitasse, siquidem super utruq; illi etiam uestimenta posuerant sua.

Marc. 10.

Marc. 16.

Hierony.

¶ Sed iam diu quæri audio, quid ista etiam sibi uelint uestimenta apostolorum. Vitam nimirum eorum sanctam designant, quam plurimum etiam attenderunt Ethnici, quo libentius faciliusq; fidem deinceps catholicam adsumpserunt. Ita enim CHRISTVS: Sic luceat, inquit, lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cælis est. Audite hæc Neochristiani, Christus opera bona lucere uult, quæ uos tamen usq; adeo contemnitis, ut etiam hypocrisin clametis esse. Ecce alterius à uestra persuasionem sententiæ est Christus, huic nos adhærentes fidem habebimus, non istis carnalibus & ex carne natis prædicatoribus. Ut ergo Christus commode insidens asellæ ingredi posset, uestes illi suas, suam honestam conuersationem proposuerunt, ut sic tandem facilius asina gentilitatis Christum admitteret, ferretq; sessorem: sicut in epistola quadam Plinius scribit ad Traianum. hic enim quum Plinio præceperat Christianos torquere & affligere, Plinius imperatori de inculpato eorum scripsit conuictu, quomodo neminē offenderent, deo supplicarēt quotidie, orarēt etiā quum ederent, & tunc gratias agerēt. Quibus porro adplausibus, cōgratulationibus & honorificis tripudijs, turbae dominum usq; in Ierusalem sint comitatae, prostratis

Matth. 5.

Plini<sup>9</sup> lib.  
10. epi. 96.

Beda.

in uias uestibus, arreptis ex arboribus ramis, decantatis in hoc etiam à turbis & pueris hymnis & laudibus, paulo commodius in dominica palmarum explicabitur. ibi hæc lector diligens requirat. Beda, qui uestimenta deposuerunt super asinam, apostoli, inquit, sunt, cæteriꝫ doctores. neꝫ enim nudo insidet asino Christus, tectum illum esse oportet sana & catholica doctrina.

## DOMINICA .II.

ADVENTVS,

Euangelium Lucae 21.

Isaie. 13.  
Joel. 2

**I**N illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ cōfusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superueniēt uniuerso orbi. Nam uirtutes cælorum mouebuntur.

Matt. 24.  
Marc. 13.  
Isaie. 3

Et tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores, cum producant iam ex se fructum, scitis quoniã prope est æstas. Ita & uos cum uideritis hæc fieri, scitote quoniã prope est regnum dei. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Matt. 24.  
Marc. 13.  
Roma. 13.  
1. Thes. 13.  
Apoca. 8.

Cælum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.